



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

XIV. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

gine est: *Poly. l. 1. tit. 17. Deus-dedit p. 4. Ans. l. 4. c. 26. & l. 12. c. 3. Ivo p. 5. c. 35.* Edita sunt verba synodi.

(10) Hæc etiam est in eodem libro inscriptio capituli 6. *Sententiam. 35. qu. 9. Item Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem in epistola septima.* In margine est: *Ans. l. 1. c. 7. Ivo par. 5. c. 19. Voluerit.] Sic etiam in originali impresso. Sed Anselmus & Ivo habent renuerit.]* Vid. dial. 19. add. ult.

(11) In eodem libro inscriptio capituli 8. *Romanis de consecrat. dist. 1. hæc est: Item Nicolaus Papa de. Eto & clero Nonensis Ecclesia. Ecclesia, id est, catholicorum collectio &c.* In margine est: *Ans. l. 5. c. 4.*

DE EADEM RE.

Dialogus decimusquartus.

C. LÆTOS nos fecit recens ex Urbe tabellarius, qui attulit aliquot Gratiani pagellas ad te G. missas, ut cognoscere posses qualis esset, quæ prope diem finem accipiet, Romana juris pontificij editio. Eas igitur ad te pagellas adferimus, ut quid tibi videatur, scire possimus. A. Pergratum mihi est perque jucundum quod dicis. Ipsas igitur pagellas videamus. C. Cur idem caput vario genere litterarum scriptum est? A. Sic distinguuntur, ut opinor, Gratiani verba à verbis aliorum. Sed & aliis litteris verba selectorum virorum conscripta sunt, aliis scholia Ioannis Teutonici & aliorum interpretum. B. Numeros addunt singulis capitibus; sed an sequantur Contij editionem, ignoro. Illud videtur retinuisse ex aliorum vulgari usu quod
singulis

singulis paginis addunt, *Decreti secunda pars.*
 A. Conferte has pagellas cum meis libris, & ad me postea varietatem referre poteritis. Hodie de Nicolai titulis agemus. C. Ita fiet.
 A. Titulo quinto de decretis Romanorum Pontificum agitur. Caput primum ab Ivone *a* & Gratiano *b* & Cochlæo & Demochare Nicolai esse dicitur ad Michaëlem Imperatorem. Ego ad Photium CP. scribendum censeo, ex epistula sexta registri Romæ editi, cujus initium est *Postquam beato Petro*, quæ lecta est in octava synodo CP. actione quarta. (1) Alterum caput apud Ivonem inscribitur: *Nicolaus Archiepiscopis per Gallias*; apud Gratianum verò, *Archiepiscopis & Episcopis per Galliam constitutis*. Id confirmatur ex epistula xiv. in appendice bibliothecæ, cujus initium *Quamvis singularum*; in qua est *apud Gallias pro per Galliam*. Ejus exemplum unus ex selectis viris ante aliquot annos ad me misit, quod ea confirmari putaret omnium veterum Romanorum Pontificum epistulas quas Isidorus Mercator refert. B. In veteri libro, qui Achillis Statij fuisse dicebatur, eadem extat; cujus exemplum cum aliis attuli. Sed nihil illic inveni de Isidori collectione scriptum. Ad fine tamen huic argumentum tractatur: Non esse reiciendas pontificias epistulas, licet in Corpore canonum non inveniatur. A. Ita est ut dicis. Sed & illud verum est, Nicolaum referre non uno in loco verba earum epistularum. quod à tempore Hadriani Pontificis & Caroli Mag-

Z

*a Ivo par. 4.
 c. 211. decret.
 b Dist. 11. c. 2.
 Ivo par. 5. c.
 33. decret.*

Dist. 19. c. 33.

354 LIBRI POSTERIORIS
ni Imperatoris fieri cœptum est. Prioribus
scriptoribus ignotæ fuisse videntur. Sed ad
varietatem veniamus ; de qua paucis agemus,
quando totam epistolam legere licet. Initio
vox *verè* tollenda est, cum Gratianus ait:
ita ut quod verè sedes apostolica probavit, ho-
die teneatur acceptum. In appendice est: *ita*
ut quod sedes apostolica probat hodie, tenea-
tur acceptum. Ivo tollit vocem *verè*. cetera ut
Gratianus habet. B. Idem est in veteri libro.
A. Illa quoque tollenda sunt: *& ideo inter*
canones non esse assumenda. quæ neque apud
Ivonem sunt, neque in appendice. B. Inter-
pretis fortasse verba fuerunt. In veteri libro
nulla sunt. A. Pro *Cum & ipsi &c. in omnibus*
illis scribendum, *cum ipsi &c. illis.* Ivo ta-
men *vel pro illis* scribit. B. In veteri est ut in
appendice, & *imminutis* pro *diminutis* ut
apud Ivonem. A. Pro *illis, qui ante ipsum*
fuit, vel post ipsum est, ad aliquod institutum
vel rescriptum recipiendum est, scribendum
ex appendice: *qui ante vel post ipsum fuit,*
est aliquod institutum vel scriptum recipien-
dum. Ivo *aliquod* pro *ad aliquod,* & *scriptum*
pro *rescriptum.* cetera ut Gratianus habet. B.
In veteri est ut in appendice. A. Quod post
alia dicitur caput esse decimum Leonis in
Corpore canonum, quintum pro decimo
scribendum est, tum ex ipso libro, tum ex
Ivone & appendice. In Conciliis est caput
extremum epistolæ primæ. B. In veteri libro
est: *Ait enim capitulo quinto suorum Decre-*
talium. A. Mox in Leonis verbis pro *bona*

recordationis scribendum *beata record.* & pro illis, *ita nostra declaratione custodiri mandamus*, scriptum in Conciliis est: *ita vestram dilectionem custodire debere mandamus*. Idem etiam est in libro Cæsaraugustano. In appendice est: *ita vestra dilectioni custodiri mandamus*. In Corpore canonum: *ita à vestra dilectione custodire debere mandamus*. Vox *debere* apud Ivonem desideratur. cetera sunt. B. In Achillis libro duplex scriptura cognoscitur. Altera est Ivonis, altera Conciliorum, omisso eodem verbo *custodire*. A. Ego Conciliorum scripturam magis probo, mox illam quæ in corpore canonum est. In extremo capite pro illis, *per singula corporum volumina, scribendum, per singula voluminum corpora,* ut in omnibus illis libris est, appendice, Ivone, & Cæsaraugustano. B. Sic etiam est in veteri illo libro. (2) Venio ad caput tertium Cochlæi, cujus initium, *Si decreta*, quod esse ait extremum distin. xx. clero Constantinopolitano. Sed neque extremum est, neque clero inscribendum, sed Photio Constantinopolitano, ut apparet ex registro Romæ edito epist. vi. cujus initium, *Postquam beato*, quam lectam esse diximus in synodo viii. actione quarta. In libro Cæsaraugustano Michaëli Imperatori, apud Gratianum clero Constantinopolitano, non rectè est inscriptum. (3) Nunc ad titulum sextum de Imperatoribus veniamus; sub quo sunt capita sex ex epistula ad Michaëlem Imperatorem. Caput primum mendosè dicitur esse apud Gra-

Cæs. lib. 1. c. 32.

Cæs. lib. 2. c. 18.
Distin. 20. c. 2.

Cæs. lib. 23. c. 48.

Dist. 15. c. 5.
Imperium.

tianum distinctione decima caput primum, cum sit caput quintum, cujus initium *Imperium*. Quattuor capita habet Gratianus distinctione xcvi. *c* de quibus hoc tantum dicam, ex Gelasij Pontificis verbis in tomo de anathematis vinculo (sic enim in Conciliis inscribitur) sumpsisse Nicolaum illa verba, *Cum ad verum ventum est &c.* & Cypriano adscribere Gratianum distin. x. *d* post Ivonem *e* Verborum varietas non est contemnenda. Non enim rectè distinctione xcvi, scripta sunt, cum ante illa, *actibus propriis*, desideretur vox *sic*; & pro illis, *& ut Christiani*; scribi debeat, *ut & Christiani*. quæ rectè Ivo & Anselmus *f* scripserunt. Quod etiam alio capite, cujus initium *Satis evidenter*, ex Theodosio minore ad synodum Ephesinam refertur, id esse opinor a cione prima capite xxxi. in eadem synodo relatum. Apud Gratianum pro *synodum nostram* scribendum est *synodum vestram*, ut in Conciliis est & apud Anselmum. (4) Caput sextum, cujus initium *Non quales*, apud Gratianum *g* est causa prima, & apud Ivonem *h* & Anselmum *i* ex eadem epistula ad Michaëlem Imperatorem. (5) Nunc ad titulum septimum de Regibus veniamus: cujus septem capita Cochlaeus refert, ex quibus quattuor habent hanc inscriptionem: *Nicolaus Lothario Regi*. De his hodie dicemus. Caput primum refert Gratianus distinctione lxxiii. *k* de quo scire cupio quid selecti viri sentiant. Ego tantum in libro Cæsaraugustano *l* eandem

c Dist. 96. c. 4. Ubinam. c. 5. Denique. c. 6. Cum ad verum. c. 7. Satis evidenter.

d Dist. 10. c. 8. Quoniam. *e* Ivo par. 4. c. 188. in decr.

f Anf. lib. 1. c. 72.

g 2. q. 1. c. 86. Non quales. *h* Ivo par. 5. c. 18. dec. *i* Anf. d. c. 72.

k Dist. 63. c. 4. Porro. *l* Anf. lib. 3. c. 65.

incriptionem. B. Notant selecti viri exstare epistolam ad Lotharium, item aliam de eadem re ad Episcopos regni Lotharij: sed ego diu quæsitam neutram inveni. (6) A. Quid illam ex qua sumitur caput quartum, cujus initium *Præcipuè Gualdrada*? B. In veteri libro exstat; & principium ejus epistolæ est, *Audito revertente Misso*. Magna quoque pars ejus exstat in historia Reginonis; cujus pars edita est Romæ post Nicolai epistulas. Pro *Gualdrada* illic est *Vualdrada*. C. Antonius Contius notat vocem *Præcipua* cum a scribendam in fine, quòd nomen fuerit proprium ejus mulieris. Estne hoc in aliquo ex his libris? B. Nullum vestigium exstat. Sed neque apud Anselmum, qui hujus capitis verba refert. Pro verbo *declina*, quo Gratianus & Anselmus utuntur, est in veteri libro & apud Reginonem *declinans*; & adduntur hæc: *& ejus consortium perpetuæ oblivioni contradens*. Post vocem *sequestrata*, alia quoque verba omissa sunt. sed & post vocem *passione*, hæc addi possunt, *& brevissimi temporis desiderio*. Pro illis, *ad perenne traharis exitium*, est illic, *ad sulphureos fetores & ad perenne traharis exitium*. Pro illis, *ut ait beatus Gregorius*, plura sunt in veteri libro: *Sed ut manifestius vera nos dicere scias, beatum Papam Gregorium audi, qui ait*. Sunt autem verba Gregorij parte III. Pastoralis cap. v. (7) A. Nunc de alio capite tibi dicendum est, cujus initium *Ita corporis m*, quod Ivo & Gratianus esse Nicolai ad Lotharium Re-

11. q. 3. c. 3.
Præcipuè.

Ansel. lib. 12.
c. 36.

m 11. q. 3. c.
96. Ita corporis.

gem prodiderunt, & ex eadem epistula idem
Ivo n esse ait aliud caput cuius initium est
Annon districta. o B. De his duobus capitibus
nihil certi accepi. (8) A. De ceteris agemus
cūm licebit.

n Ivo par. 8.
c. 227. decret.
o 24. q. 3. c.
19. Annon.

ADDITIONES.

(1) **D**ISTINCTIONIS II. capituli 2. in
Gregoriana editione hæc inscriptio est:
Item Nicolaus Papa I. Michaëli Imperatori. Consequens est &c. In margine hæc sunt: *Sententia elicium ex epistola cuius initium Proposueramus. Ivo p. 4. l. 211. Fons omittitur. Vid. lib. I. dial. 20. add. 1.*

(2) Gratiani verba sunt ante caput I. distinctionis
19. in eodem libro: *De his ita scribit Nicolaus Papa Archiepiscopus & Episcopis per Gallias constitutis. Si Romanorum Pontificum &c.* In margine est: *100 p. 5. c. 33 Et ad verba illa, capitulum sancti Papa Innocentij, additur: Innoc. PP. I. ad Exuperium episc. 1. c. ult. Et ad illa, unum beati Leonis capitulum, additur: Leo PP. I. epi. 1. in fine. Et ad verba, cap. decimo, additur: al. quinto suor. decret. Et ad illa, Papa Gelasius, hæc adduntur: Gelasius Papa I. cum 70. Episcopis. Habetur sup. 15. dist. c. Sancta Romana. Item decretales. In Notis est: Cum ipsi] Locus fuit emendatus ex ipsa epistola Nicolai, qua Roma manuscripta habetur, & nuper impressa est in appendice bibliothecæ sanctorum patrum; ut dictum est supra dist. 10. c. Leges. (scribe, lege) in qua epistola multa alia habentur ad epistolas decretales etiam antiquissimæ pertinentia.*

(3) Capituli secundi *Si decreta.* distinctione 20. in eodem libro inscriptio hæc est: *Item Nicolaus I. Proptio in epistola cuius initium est: Postquam beato Petro.* In margine hæc sunt: *Est eadem epist. 6. ex qua sumptum est c. Quod dicitis. supra dist. 16. Ans. l. 3. c. 33.*

(4) Ante caput quintum *Imperium vestrum.* distinctione 10. hæc in eodem libro verba sunt: *Item Nicolaus Papa I. in epistola ad Michaëlem Imperator*

rem, *cujus initium est: Proposueramus. Capitis 8. Quoniam idem, eadem distinctione inscriptio est: Item Nicolaus Papa I. in epistula 7. ad Michaëlem Imperatorem. In Notis additur: Huic capiti in codicibus impressis erat propositus hic titulus: Cyprianus Juliano Imperatori, quod est contra omnem temporum rationem. In manuscriptis omnibus, excepto undecimo Vaticano, abest dictio Imperatori, quemadmodum & apud Ivonem. Nonum autem habet, Juliano Episcopo. Aliud pervetustum, Jubiano. Ceterum integrum hoc caput est in epistola Nicolai ad Michaëlem Imperatorem, quae incipit Proposueramus; ex quo refertur infra dist. 96. c. Cum ad verum. unà cum aliis verbis ejusdem epistolae ex quibus hæc pendent. Et sumptum est ex Gelasio in tomo de anathematis vinculo. Propria] In originali est propriam volens medicinali humilitate sursum efferri. Ivo habet ut Gratianus hic in plerisque codicibus. In nonnullis tamen est, propriam volens medicinali humilitate sursum efferri; quemadmodum etiam infra dist. 96. c. Cum ad verum. Apud Gelasium loco indicato legitur, sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque describit, suos volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi, ut & Christiani &c.] In margine est: Ivo p. 4. c. 188. infra dist. 96. c. Cum ad verum. In Casu: Iulianus Imp. vendicabat sibi imperium & pontificatum. quod locum habuit in veteri testamento. Sed dicit Cyprianus &c. Distin. 96. capitis 4. Vbinam legistis. inscriptio est: Item Nicolaus Papa in epist. ad Michaëlem Imp. quae incipit Proposueramus. In margine est: Ans. 1. c. 75. Capitis 5. ejusdem distinctionis, *cujus initium est Denique hi. inscriptio est: Idem in eadem epistola. Et in margine: Ans. ibid. Capitis sexti Cum ad verum. inscriptio hæc est. Idem paulo inferius. In margine est: supra dist. 10. c. Quoniam. Ans. ibidem. Et in Notis: Ad verum] Post ultima verba capitis antecedentis sequitur continenter in eadem Nicolai epistola: Fuerunt hæc ante adventum Christi &c. Sed cum ad verum ventum est eundem Regem atque Pontificem, ultra sibi &c. Nihil autem mutatum est, & ob glossam,*
 Z iiij*

& quoniam est initium capitis. Nonnulla verò alia huc pertinentia notata sunt supra dist. 10. c. Quoniam. Inscriptio capitis 7. Satis evidentè, ejusdem distinctionis est: Idem in ead. paucis interjectis. In margine est: *Ans. l. 1. c. 71.* Et vers. *Sed & Theodosius: Rufinus in hist. lib. 1. c. 2.* In Notis est: Theodosius minor] Verba hæc sunt accepta ex epistola Theodosij ac Valentiniani Imperatorum synodo Ephesina per Candidianum missa, qua est in extremo prima actionis ipsius synodi. In versione antiqua, qua servatur in bibliotheca Vaticana, & qua Lutetia edita est, eadem planè hoc loco habentur verba cum his qua refert Nicolaus, & optimè conveniunt cum Græcis.

(5) Inscriptio capitis 86. Non quales. 1. q. 1. in eodem libro Romano hæc est: *Item Nicolaus Papa Michæli Imperatori in epist. qua incipit Proposueramus.* In margine est: *Ans. l. 1. c. 75. Ivo par. 5. c. 18.*

(6) Hæc etiam est inscriptio in eodem libro capitis quarti Porro scias. distinctione 63. *Item Nicolaus Papa I. Lothario Regi.* In margine est: *Ivo p. 5. c. 357.*

(7) Quod ad caput tertium attinet, cujus initium Præcipuè Gualdrada. 11. q. 3. hæc est in eodem libro ejus inscriptio: *Item Nicolaus Papa ad Lotharium Regem in epistola cujus initium Audito.* In margine est: *Ans. l. 3. c. 66. Regino chron. l. 2.* Et ad verba, ut ait beatus Gregorius, additur: *Pastor p. 3. c. 5.* Et in Notis: *Sumptum est caput hoc ex epistola Nicolai qua incipit Audito revertente Missio vestro. & extat Roma in monasterio Dominicanorum. Est autem quasi in epitomen redactum (redacta scribo) multis verbis omissis. Hujus epistola bonam partem refert Regino libro secundo Chronicorum.*

(8) Eadem quæstione tertia capitis 96. Ita corporis. in eodem libro inscriptio est: *Item Nicolaus Papa Lothario Regi.* In margine hæc sunt: *Ivo p. 8. c. 227.* Et vers. *Probat.* additur: *suprà ead. Teugualdum.* Inscriptio capitis 19. *Annon districta. 24. q. 3.* est: *Item Nicolaus Papa Lothario Regi.* In margine est: *Ivo p. 8. c. 227.*